AUTHOR:

POLSTER, A.

TITLE:

QUAESTIONES CRITICAS IN CICERONIS DE...

PLACE:

KATTOWITZ

DATE:

1874

Master Negative #
91-80274-30

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Polster, A
...Quaestiones criticas in Ciceronis De divinatione libros scripsit A. Polster... Kattowitz, Siwinna, 1874.
11 p. 28½ cm.

At head of title: ...Programm des Städtischen gymnasiums zu Kattowitz...


VOLUME OF PAMPHLETS


Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10.2.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)














PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

III

Programm

des

STÄDTISCHEN GYMNASIUMS

zu

KATTOWITZ.

Ostern 1874.

Inhalt:

Kattowitz, 1874.
Druck von G. Siwinna.

Quaestiones criticas in Ciceronis de divinatione libros

scripsit

A. Polster.

Marcus Cicero in libri II. capite 64. de somniorum obscuritatibus agens cum quaesisset, qualis esset ista mens deorum, si neque ea significarent nobis in somnis, quae ipsi per nos intellegeremus, neque ea, quorum interpretes habere possemus, atque intellegere se negasset, quo pertinerent somniorum aenigmata, cum intellegi a nobis di velle deberent, quae nostra causa nos monerent, §. 133. addit haec: Mea causa me mones, quod non intellegam? quid me igitur mones? ut si quis medicus aegroto imperet, ut sumat

terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam

potius quam hominum more cocleam dicere. Nam Pacuvianus Amphio

quadrupes tardigrada, agrestis humilis, aspera,
capite brevi, cervice anguina, aspectu truci,
eviscerata, inanima, cum animali sono

cum dixisset obcurius, tum Attici respondent:

non intellegimus, nisi si aperte dixeris:

at ille uno verbo „testudo". non potueras hoc igitur a principio, citharista, dicere? Priusquam ad depravatam codicum lectionem „*Attici*" veniam, pauca videntur praemittenda esse de infinitivo „*dicere*," qui legitur in enunciato *ut si quis medicus aegroto imperet potius, ut sumat . . . sanguine cassam, quam . . . dicere.*" Eo verborum constructionem turbari manifestum est ideoque a Lambino et Davisio, quos Baiterus sequitur, eiectus est. Sed cum et *potius*

et verba *hominum more* ad notionem dicendi spectent eaque hoc loco vix possit abesse, Wopkensius in lectionibus Tullianis III. 10. p. 392. ed. Jenens. commendavit coniunctivum *diceret*. Contra quem Handius postquam ad Wopkens. L. T. annot. 258. sic disseruit, nescire se, an ipse sibi ad animum non revocasset verborum construendi rationem, quae haec esset: ut si quis potius imperet aegroto, ut sanguine cassam sumat, quam ut diceret hominum more cocleam: ubi imperfecto nullum concedi locum, in Tursell. T. IV. p. 517 se acquiescere ait in neglegentiore orationis structura, in qua *potius* non e verbo *imperet* pendeat et vertit verba sic: wie wenn ein Arzt dem Kranken befähle eine Blutlose zu nehmen, statt vielmehr zu sagen eine Schnecke. Quam neglegentiam modum excedere et Cicerone vix dignam esse cum Foertschius in programm. Naumburg. 1846. p. 12. persuasum haberet, locum ita sanare conatus est, ut infinitivum *dicere* mutaret in participium *dicens* et accusativos *terrigenam .... sanguine cassam* referret et ad *imperet, ut sumat* et ad *dicens*. Quam brevitatem ferri posse quamquam non est negandum, tamen haud scio an lectio *dicens* nimis recedat a codicum scriptura *dicere* atque praeferenda sit Wopkensii emendatio *diceret*. Nam quod Handius imperfecto concedi locum negat, simillimo refutari puto exemplo, quod invenitur in huius libri §. 137. „Jam vero quid opus est circumitione et anfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum, potius quam derecto deus, si quidem nobis consulebat, „hoc facito,“ „hoc ne feceris“ diceret idque visum vigilanti potius quam dormienti daret?“ Ut enim hoc loco coniunctivi *diceret* et *daret* propter enunciatum hypotheticum *si consulebat* positi sunt praecedente praesente *quid opus est*, sic in eo loco, de quo nobis disputandum est, propter ablativi *hominum more* vim, ut ita dicam, condicionalem dictum est *diceret*. Illum enim ablativum nihil aliud significare nisi *si hominum more uteretur* apparet. Qui dicit *sumito tardigradam . . . sanguine cassam*, hominum morem non sequitur; quem si sequeretur, cocleam diceret. Hanc imperfecti explicationem artis grammaticae legibus convenire nemo negaverit.

Obscurius vitium latet in voce *Attici*. Non enim liquet, quid rerum Attici gerant cum Amphione. Quare Bothius suspicatur *attice*, quod explicat per *scite, bene*. Orellius, cui haec coniectura non probatur, iure existimat in vocabulo *Attici* potius latere nomen eorum, e quibus chorus illius tragoediae Pacuvianae constiterit. Conicit igitur *Astici* i. e. *ἄστεος* Thebarum incolae. Cui coniecturae obstare existimat Welckerus de trag. Gr. p. 815, quod cum Dirce in Cithaerone bacchans apud Euripidem quidem, quem Pacuvius secutus est, Hysiis habitet neque fieri potuerit, ut virorum turba cum Bacchis in montes exiret, Thebanorum mentio non aptior sit quam Atticorum. Quam Welckeri dubitationem dilui existimo scholio ad Eurip. Hippol. v. 58 vol. I. p. 83, 15. ed. Dind. *Καὶ ἐν Ἀντιόπῃ δύο χοροὺς εἰσάγει τόν τε Θηβαίων*

γερόντων διόλου καὶ τὸν μετὰ Δίρκης. Jure igitur Welckerus negavit, Dircen viros in montes comitatos esse, id autem iniuria, Thebanos chori partes egisse. Apparet enim Euripidem in Antiopa parachoregemate quod dicitur usum esse. Nec tamen ideo Orellii coniectura *Astici* mihi probanda videtur. Nam si, id quod a scholiasta traditur, chorus ex senibus Thebanis constitit, non est verisimile ei nomen fuisse *γέροντες ἀστικοί*, praesertim cum res procul a Thebis agatur atque voce *ἄστυ* plerumque Athenae intellegantur. Euripides enim si senum patriam indicare voluisset, certe chorum nominasset *χορὸν Θηβαίων γερόντων*, ut in Hercule Furente. Non igitur probabile videtur in lectione *Attici* latere vocem, qua patria *χορευτῶν* significetur, neque propterea, quod scholiasta *χορευτῶν* patriam aperte nominavit, ipsum Euripidem opus est chorum a patriae nomine appellasse. Nam ex fabulae descriptione nemo non intellegebat facillime, unde *χορευταί* oriundi essent. Quare si actionem, ut ita dicam, fabulae spectes, chori nomen „*Bacchici*,“ quod Welckerus conicit, aptissimum est. Cum enim Dirce, ut dicit Hyginus f. 87, per bacchationem Liberi in Cithaeronem delata sit, Welckerus suspicatur etiam in villa rustica, ubi Amphion et Zethus cum pastore habitabant, orgia celebrata esse. Idem Heynius (Antiquar. Aufs. II. p. 207.) colligit ex mentione statuae Bacchi hedera coronatae in fr. 202. ed. Dind.

Ἔνδον (Bothius *εἶδον*) *δὲ θαλάμοις βουκόλον* ⏑–⏑–
κομῶντα (Toupius *κοσμοῦντα*) *κισσῷ στῦλον Εὐΐου θεοῦ.*

Duae igitur res, ut, quae disputavi, comprehendam, satis constare videntur in lectione *Attici* inesse substantivum aliquod pluralis numeri chorum significans et Bacchanalia acta esse in Amphionis Zethique praedio. Nomen autem ipsum chori *Bacchici* a Welckero propositum minus mihi placet, quippe quod nimis recedat a literis vocis *Attici*. Ac mihi quidem vox *Attici* corrupta videtur esse ex *Μαντικοί* *M* litera post vocem *tum* in *m* exeuntem abolita non est mirum vocem *Μαντικοί* mutatam esse in *Ἀττικοί* i. e. Attici. *Μαντικούς* eosdem fere esse quos *βακχικούς* elucet ex Eur. Bacch. v.v. 297 —301:

μάντις ὁ δαίμων ὅδε (Διόνυσος). τὸ γὰρ βακχεύσιμον
καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει.
ὅταν γὰρ ὁ θεὸς ἐς τὸ σῶμ᾽ ἔλθῃ πολύς,
λέγειν τὸ μέλλον τοὺς μεμηνότας ποιεῖ.

Ex fatidicis autem senibus chorum constitisse eo verisimillimum fit, quod in fabula agitur, utrum regnum transiturum sit ad Amphionem an ad Zethum, atque Jovis consilio Amphionem regem futurum esse Mercurius praedicit. cf. Welcker. l. l. p. 820. Nec repugnat vatum ingenio fragmentum, quod unum Welckerus p. 826. choro tribuit:

δίκα τοι δίκα χρόνιος, ἄλλ᾽ὅμως ὑποπεσοῦσ᾽
ἔλαθεν, ὅταν ἔχῃ τιν᾽ἀσεβῆ βροτῶν.

Fatidici igitur senes Amphioni postquam testudinem a **Mercurio acceptam** obscurius descripsit, quo magis obstupescerent mira bestiae forma inauditoque eius usu, respondisse putandi sunt

non intellegimus nisi si aperte dixeris.

Hoc Amphionis et chori colloquium ad initium fabulae pertinere atque parodo post Mercurii prologum pronunciata haberi, priusquam Antiopa in scenam prodierit, Welckerus suspicatur p. 816. Ne aliorum omittam coniecturas, Bergkius proponit *rustici*, Foertschius l. l. p. 12. et 13. *amici* conferens Cic. Tuscul. I. 43. §. 104. „Durior Diogenes et id quidem sentiens, sed ut Cynicus asperius proici se iussit inhumatum: tum *amici:* volucribusne et feris?“ Quibus coniecturis non ita commode explicari, quomodo corruptela orta sit, in promtu est. Baiterus denique vocem *Attici* pravum esse existimat glossema.

Paulo infra haec leguntur in §. 135: Ergo obscura somnia minime consentanea maiestati deorum: ad aperta et clara veniamus, quale est de illo interfecto a copone Megaris, quale de Simonide, qui ab eo, quem humarat, vetitus est navigare, quale etiam de Alexandro, quod a te praeteritum esse miror: † qui cum Ptolemaeus, familiaris eius, in proelio telo venenato ictus esset eoque volnere summo cum dolore moreretur, Alexander adsidens somno est consopitus. *Qui* * * *cum* exhibet A, *quidcum* V^1, *quod cum* V^2. Enunciati relativi constructionem falsam esse quivis primo obtutu perspicit. Quare Herelius *qui* mutavit in *quippe,* Kayserus nominativum *Alexander* ante verbum *adsidens* delevit, Rathius denique lectionem *quodcum*, quae traditur altera manu codicis Vindobonensis, probavit. Equidem cum meminerim Marcum Ciceronem in hoc libro de divinatione altero cum Quinto fratre colloqui, pro certo affirmaverim in *qui* inesse vocativum *Quinte,* ut legendum sit *quod a te praeteritum esse miror, Quinte. Cum Ptolemaeus . . . moreretur, Alexander adsidens somno est consopitus.* Simillimum huius corruptelae exemplum reperitur in huius libri cap. 34. §. 71, ubi haec leguntur: Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo. Pro *Q.* codices A B exhibent que. Ibi praenomen a Rathio immerito expulsum esse, cum in formulis solemnibus nominibus fictis praenomina non adderentur demonstravit Christius exemplo ex Varrone de l. l. VI. §. 87. allato, ubi in simil formula *C. Calpurni* legitur.

II. 57. §. 117. Quae vetustas est, quae vim divinam conficere possit? quid tam divinum autem, quam adflatus e terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cer-

nat multo ante, sed etiam numero versuque pronunciet? Nescio quomodo nominativus *ea* offendit. Equidem praeferam *eas,* qua mutatione codicum auctoritatem vix laedi contenderim.

In libri I. §. 12. Quintus Marco fratri a se scire aventi, quid de divinatione sentiret, postquam respondit, duo esse eius genera, artis alterum, alterum naturae, cum vis et natura quaedam tum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura praenunciaret, sic pergit:

Quare omittat urguere Carneades, quod faciebat etiam Panaetius requirens, Juppiterne cornicem a laeva, corvum ab dextera canere jussisset: observata sunt haec tempore immenso et † in significatione eventus animadversa et notata. Nihil est autem, quod non longinquitas temporum excipiente memoria prodendisque monumentis efficere atque assequi possit. Foertschius solus l. l. p. 13. lectioni codicum in *significatione eventu* emendatione opus esse negat explicans per in, beim Anzeigen eines Erfolges, indem sie anzeigten, welchen Erfolg eines Vorhabens man zu gewärtigen habe. Ciceronem cum universe dixisset *observata sunt haec tempore immenso,* etiam accuratius rem explicaturum haec addidisse *et in sign. event. anim. et obs.,* quibus nihil aliud exprimi, nisi hoc fere *et ut signa, quae eventum indicarent, animadversa et notata sunt.* Alii viri docti locum aliter mutaverunt, veluti Hottingerus in *significatio eventu,* Madvigius in *et significatio eventis,* Klotzius in *significatione eventus,* Orellius in *in significationem eventus.* Hanc coniecturam Christius sequitur addens *in significationem* dictum videri eodem sensu, quo in §. 13. in. *animadversa sunt herbarum genera ad morsus bestiarum.* Baiterus denique locum ut nondum emendatum obelo insignivit. Recte opinor. Nam si quaerimus, quid Quintus dicere debuerit, eius sententia haec est: Significationibus rerum longo vel potius immenso tempore observatis eventus quoque animadvertebantur ac notabantur et memoria excipiebantur monumentisque prodebantur. Similem sententiam reperimus in huius libri §. 25. „est enim (divinatio) ab omni aeternitate repetita, in qua cum paene innumerabiliter res eodem modo evenirent isdem signis antegressis, ars est effecta eadem saepe animadvertendo ac notando“ et in §. 109. „quae extis, quae fulgoribus, quae portentis, quae astris praesentiuntur, haec notata sunt observatione diuturna.“ Quae si recte disputavimus, facere non possumus, quin scribamus *observata sunt haec tempore immenso et significationum eventis animadversa et notata.* Idem ablativus cum eisdem verbis eodem sensu coniungitur in §. 72. „quae vero aut coniectura explicantur aut eventis animadversa ac notata sunt, ea genera divinandi, ut supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur.“

Ab eiusdem libri I. §. 17. usque ad §. 22. parte carminis a Marco de consulatu suo conditi pronunciata Quintus secundum codices fratrem his verbis alloquitur: Tu igitur (Marce) animum poteris inducere contra ea, quae a me disputantur de divinatione, dicere, qui et gesseris ea, quae gessisti, et ea, quae pronunciavi, accuratissime descripseris?

In mira dicendi ratione *qui et gesseris ea, quae gessisti* cum iam Christius offenderet, pro *gessisti* suspicatus est *scripsisti*. Equidem malim verba enunciatorum relativorum *gessisti* et *pronunciavi* loca inter se mutare, ut haec existat sententia: *qui et gesseris ea, quae pronunciavi, et ea, quae gessisti, accuratissime scripseris.* Eadem sententia a Marco repetitur in libri II. §. 46. „tu igitur animum induces — sic enim mecum agebas — causam istam et contra facta tua et contra scripta defendere?“

In libri I. cap. 19. §. 36. codices haec exhibent: Irrideamus haruspices vanos, futtilis esse dicamus, quorumque disciplinam et sapientissimus vir et eventus ac res comprobavit, contemnamus; etiam Babylonem et eos, qui e Caucaso caeli signa servantes numeris et motibus stellarum cursus persequuntur; condemnemus, inquam, hos aut stultitiae aut vanitatis aut imprudentiae, qui quadraginta septuaginta milia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent etqs. Totum locum compluribus laborare vitiis viros doctos non effugit. Ac primum quidem verba *Babylonem et eos* a Victorio in *Babylonios et eos*, ab Orellio, quem Hottingerus secutus est, in *Babylonios, eos* mutata, a Christio denique et Baitero iure seclusa sunt, ut addita ex libri II. §. 97. „nam quod aiunt quadraginta septuaginta milia annorum in periclitandis experiundisque pueris, quicunque essent nati, Babylonios posuisse, fallunt.“ Alterum vitium, quod inest in substantivo *imprudentiae*, elegantissime sustulit Lambinus scribens *impudentiae*. Remanet tamen etiam tertia difficultas in verbis *et motibus* item omnium codicum auctoritate traditis. Nihil enim significari verbis *motibus persequuntur stellarum cursus* facile intellegitur. Quare Orellius coniecit *et motus stellarum cursusque*, Davisius *stellarum cursus et motus*, Foertschius l. l. p. 14. *rationibus stellarum cursus persequuntur.* Quae coniecturae cum minus satisfaciant, Christius et Baiterus verba *et motibus* interpolatori tribuunt, qui ea ex libri II. §.17. „Solis defectiones itemque lunae praedicuntur in multos annos ab iis, qui siderum motus numeris persequuntur“ adiecerit eodem modo, quo illo loco post *siderum motus* verba *et cursus*, quae verba in interpolatis Moseri codicibus leguntur. Sed nemo est, qui non videat, illo loco, qui est in libri II. §. 17. verba *et cursus* omnino retineri non posse ut omni codicum bonorum auctoritate carentia, hoc autem loco, qui est in libri I. §. 36., verba *et motus* cum optimorum codicum eorumque consentientium fide defendantur, sine temeritate non posse eici.

Itaque videndum est, ne quid lateat in voce *motibus*, quod sententiae conveniat. Ac mihi quidem *motibus* videtur corruptum ex *modis*, ut Chaldaei dicantur longitudinem et tempus cursus stellarum computasse et mensi esse.

I. c. 25 §. 54. Ubi idem saepius, ascendit (Sophocles) in Ariopagum, detulit rem. In uno codice A extat *ascendit*, sed prima syllaba *as* in rasura, *scendit* legitur in codicibus H V. Propterea Halmius coniecit *escendit*. Conferentibus nobis varietatem lectionis in huius libri §. 47, ubi pro *inscenderet*, quod legitur in codicibus A V, in codice B[1] *scenderet* extat, in B[2] *ascenderet*, verisimilius videtur in §. 54. scribere *inscendit*.

Ut etiam aliam minutam scrutemur rem, in §. 82. legitur: non censent (di) esse suae maiestatis praesignificare hominibus, quae sunt futura. Lectionem *sunt* probaverunt omnes editores. Unus codex H praebet *sint* Sed cum in libri II. §. 101, ubi totus locus eisdem verbis repetitur, omnes codices exhibeant *sint* atque mutatio literarum levissima sit, mihi quidem *sint* praeferendum videtnr, ut existat interrogatio indirecta, qualis reperitur in initio huius paragraphi neque ante declarant hominibus. quae futura sint.

In eadem paragrapho 82. exeunte in omnibus codicibus leguntur haec: neque non possunt (di) futura praenoscere. Pro verbo praenoscendi Jortinum verbum praesignificandi, praemonstrandi, praedicendi aut aliud eiusmodi significationis bene requirere, quamquam iam vidit Christius, tamen cum idem error in libri II. §§. 102. et 105. recurrat, Ciceronem malle se ait reprehendere quam corrigere. Sed cum, si huius viri doctissimi opinionem sequamur, maior neglegentia Ciceroni imputetur, quam quae ferri atque excusari possit, cumque minus verisimile sit Ciceronem sumptiones praemissas Stoicorum ratione redarguentem dormitasse, persuasum habeo coniectura non Ciceronem corrigi, sed librarios et non ita violentum mihi videtur pro *praenoscere* scribere *praenunciare*, quod verbum cum eodem obiecto coniungitur in huius libri §. 12. „est enim vis et natura quaedam ..... quae futura praenunciat.“

Facillime sanari potest codicum falsa lectio, quae invenitur in huius libri §. 88. Amphiaraum autem sic honoravit fama Graciae, deus ut haberetur atque ut ob eius solo, in quo est humatus, oracula peterentur. Pro ab eius solo, quod in omnibus legitur codicibus, Moserus maluit *ab eo loco* coll. Valer. Max. VIII 15, ext. 3, ubi haec leguntur: „eadem gens (Graeca) summo consensu ad Amphiaraum decorandum incubuit locum, quo humatus est, in formam condicionemque templi radigendo atque inde oracula capi instituendo. Cuius cineres idem honoris possident, quod Pythicae cortinae, quod aheno Dodonae, quod Hammonis fonti datur.“ Verba *in quo est humatus* Hottingero in Ciceronis loco spuria visa sunt. Quod non ita esse verisimile sequitur ex loco Valerii a Mosero allato. Jure

autem de lectione *ab eius solo* ambigitur. Quid est enim solum Amphiarai, in quo est humatus? Propter genitivum possessivum *eius* angustiorem, ut ita dicam, requirimus notionem, atque cum apud Valerium Maximum cinerum Amphiarai mentio fiat et Cicero ipse aperte loquatur de loco, ubi Amphiaraus humatus est, meo quidem iudicio notio sepulcri videtur desiderari et quidem eiusmodi, ut verba *in quo est humatus* non sint supervacanea. Quare suspicor pro *solo* vocem *solio*, quae vox apud posterioris demum aetatis scriptores idem significat, quod sarcophagus qui dicitur, veluti apud Curtium x, 10, 9. „Septimus dies erat, ex quo corpus regis (Alexandri) iacebat in solio curis omnium ad formandum publicum statum a tam sollemni munere aversis.“ Cf. Klotz. lex. Itaque verba *in quo est humatus* apud Ciceronem quidem necessaria sunt ad notionem sepulcri significandam. Ciceroni narranti ab Amphiarai solio oracula esse petita imago inreconsultorum consulentibus respondentium videtur obversata esse, a quibus non secus atque ab oraculis responsa petebantur. cf. Cic. de legg. I. 3,10. „Ego vero aetatis potius vacationi confidebam, cum praesertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem senectutisque non inertis grato atque honesto fungerer munere.“

Incertum relinquitur Ciceronis verbis, utrum cogitandum sit de Amphiarai oraculo, quod Oropi florebat an de eo, quod prope Thebas in via Potnias ferente situm erat. Ex enunciato autem *in quo est humatus* elucere videtur locum indicari, ubi Amphiaraus terra obrutus esse dicebatur. Quem Thebis vicinum esse cum ex multis locis appareat (cf. Pauly Real-Encycl. p. 887.), Cicero quidem de oraculo ad Thebas sito cogitasse videtur.

II. 12,29. Et certe si est in extis aliqua vis, quae declaret futura, necesse est eam aut cum rerum natura esse coniunctam aut conformari quodam modo numine deorum vique divina. Cum rerum natura tanta tamque praeclara in omnes partes motusque diffusa quid habere potest commune non dicam gallinaceum fel — sunt enim qui vel argutissima haec exta esse dicant — sed tauri opimi iecur aut cor aut pulmo? quid habet naturale, quod declarare possit, quid futurum sit? Vocem *motusque* sensu idoneo destitutam a Mosero non recte versam esse per Alles, was sich regt manifestum est. Davisius suspicatus est *locosque*, quod quomodo ex *motusque* ortum sit, non satis apparet. Legendum videtur *atomosque*, ut notio partium accuratius definiatur.

De Tage in agro Tarquiniensi exarato Marcus Cicero sic disputat in libro II, 23. §. 51. Num ergo opus est ad haec refellenda Carneade? num Epicuro? estne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deum dicam an hominem? si deum, cur se contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem aspiceret? quid? idem nonne poterat deus hominibus superiore e loco tradere? Coniunctivum *abdiderit* Lambinus mutavit in *abdiderat*, Klotzius, quem Baiterus secutus est, in *abdidit*. Mihi quidem coniunctivus cum Christio videtur retinendus esse, sed sic interpugendum: si deum, cur se contra naturam in terram abdiderit? ut patefactus aratro lucem aspiceret? Ita melior certe sententia existet.

II. §. 62. M. Cicero postquam negavit omnino esse portentum, cum nec, quod potuisset fieri, factum unquam esset, nec, quod potuisset, id portentum esse, coniectorem responso non inscito idem declaravisse narrat sic: Quod etiam coniector quidam non inscite respondisse dicitur † ei qui cum ad eum rettulisset quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumiectus fuisset, „tum esset“, inquit, „ostentum, si anguem vectis circumplicavisset.“ hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse, quod fieri posset, ostentum. *Quicum* exhibet A, sed *cum* in ras., *quiquodam* (corr. *quodam*) V, unde Davisius coniecit *qui quondam* aut *qui* omisso *cum*, Halmius *dicitur cum quidam*. Quaeritur, cuinam coniector responderit. Iam si id spectamus, quod quasi ostentum relatum est, nihil verisimilius videtur, quam ianitorem dies noctesque circa vectem occupatnm ad interpretem portentorum id rettulisse, anguem domi vectem circumiectum fuisse. Legendum igitur statuo: Quod etiam coniector quidam .... non inscite respondisse dicitur ianitori; qui cum et quae sequuntur. Nemo autem negare potest in extremis literis verbi *dicitur* et in dativo *ei* vocem *ianitori* latere posse et ad scripturam codicibus servatam proxime accedere.

Contra grammaticam legem vulgatam participium ablativi absoluti terminatur in *i* in libri I. §. 61. at qui salubri et moderato cultu quieti se tradiderit ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta saturat aque bonarum cogitationum epulis eaque parte animi, quae voluptate alitur .... nec inopia enecta nec satietate affluenti, ... illa etiam tertia parte animi ... sedata atque restincta, tum eveniet duabus animi temerariis partibus compressis, ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat et quae sequuntur. Omnes codices consentiunt in extrema syllaba *ti* participii *affluens*, itaque scribunt Christius et Baiterus.

Nevius de participiorum ablativo disputans (cfr. Formenlehre der lat. Spr. p. 44. et 45.) hunc ablativi exitum inusitatum duobus exemplis ex Cicerone petitis probasse sibi videtur, uno ex Tuscul. V. §. 42. „Lacedaemonii Philippo minitanti, se omnia, quae conarentur, prohibiturum, quaesiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus,“ altero ex libro de or. II. c. 55 §. 225. At his locis nihil demonstrari recentissimis optimisque editionibus docemur. In priore enim loco a Baitero ceterisque

editoribus, quod sciam, omnibus *minitante* legitur pro *militanti*, quod codices habent. Neque rectius alterius exempli verba a Nevio allata sunt. Pro *gestu omni imminenti*, quod Nevius in codicibus extare existimat, legitur *gestu omni et imminenti*. Integra illius loci verba sunt haec: „pro di immortales, quae fuit illa, quanta vis! quam inexpectata! quam repentina! cum coniectis oculis, gestu omni et imminenti, summa gravitate et celeritate 'Brute quid sedes?' et quae sequuntur.

Apparet hos ablativos esse ablativos modi atque vocem *imminenti* ut *omni* adiectivi vicibus fungi, ut ablativus in *i* exiens omni vacet offensione. Unum participium *praesens* videtur excipi. Nam et aqud Sall. Iug. 29,5 legitur *praesenti consilio*, im Beisein des Kriegraths, et apud Ciceronem in libro de Fin. I. 12,41 et II. 19,63 *nulla neque praesenti neque expectata voluptate, nullo nec praesenti nec futuro dolore*. Huius participii *praesens* ablativum in *i* exeuntem de rebus, in *e* exeuntem de personis usurpari Zumptius in gramm. lat. §. 64. adn. existimat. Quidquid autem de ablativo participii *praesens* iudicamus, certum videtur esse in constructione ablativi absoluti participium, cum vim et notionem verbi retineat, non in *i*, sed in *e* terminari. Quare non dubito *affluente* scribere. Unum participium *praesens* excipi mirum esse non potest, quippe quod verbi naturam omnino exuerit. Eadem illa lex apud Ciceronem quidem omnibus locis valet etiam de participiis cum aliquo nominis casu, quo participii vis verbalis declaratur, coniunctis, cum quae exempla Nevius l. l. p. 45. excipi opinatur, ea praeter unum in novissimis textibus qui vocantur remota sint. Nam et pro *referente* in Cic. de rep. I. 32,49. „concordi populo et omnia referenti ad incolumitatem et libertatem suam nihil esse immutabilius" nunc quidem ab Halmio *referente* et pro *significanti* in libro de orat. II. 43,184 „adhibita actione leni facilitatemque significanti" a Baitero *significante* legitur. Unum exemplum restat, de quo dubitare possis, in Cic. pro Arch. 3,4 „primum Antiochiae, celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus affluenti, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit." Cum significationem participii *affluens* hoc loco ita fluctuare inter adiectivi et participii naturam manifestum sit, ut ablativus et in *i* cadere possit et in *e*, iure mihi quidem recentiores editores codicum lectionem *affluenti* servasse videntur. Tantum autem interesse inter hunc locum et inter illum, qui est in libro de div I. §. 61, ut hoc loco participii *affluens* ablativus *i* vocali possit terminari, illo non item, cum participii vis verbalis in constructione ablativi absoluti dilucide appareat, vix est quod attingam.

Lectorum gratia hic locorum a me tractatorum index additur:

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

A. Unterrichtspensa

(von Ostern 1873 bis Ostern 1874).

Secunda.

Ordinarius: Director Dr. Müller. Cursus zweijährig.

Religion. a. Evangelische. Lectüre des Evangeliums Matthäi in der Ursprache. Kirchengeschichte bis Bonifacius mit Ausnahme der dogmatischen Streitigkeiten. Repetition der Hauptstücke, Lieder und Sprüche. 2 St. Wolff.

b. Katholische. Die vorchristliche Offenbarung nach Martins Lehrbuch. Kirchengeschichte: Aeussere Schicksale der katholischen Kirche von Constantin bis zu Carl dem Grossen. Geschichte der Lehrstreitigkeiten und Sekten bis zum Dreikapitelstreite. Lectüre des Evangeliums Matthäi Cap. I — VII in der Ursprache. 2 St. Kulla.

Deutsch. Kurze Einführung in die Geschichte der deutschen Sprache. Das Wesen der epischen Poesie. Inhalt der Nibelungen und der Gudrun. Uebersicht der Litteraturgeschichte bis Luther. Lectüre einiger kurzer Schriften von Luther nach dem Lesebuche von Paulsiek für II und I. Charakter der Lyrik. Lectüre einiger Gedichte von Opitz und Flemming. Uebersicht der Litteraturgeschichte bis zum Anfange des 18. Jahrhunderts. Freie Vorträge. Alle 4 Wochen ein Aufsatz. 2 St. Müller.